



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

DXLI. Eidesformeln des Herzogs Joachim von Münsterberg als Bischof von Brandenburg, vom 19. Dez. 1545.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

unser dispensation und begnadunge In alwege geniesen zu lassen, Daran geschieht unser gantz zuverleßiger Meinung, sich menniglich darnach zu richten habe, getreulich und ungeferlich. Zu urkundt mit unserm anhangenden Ingeßigel vorliegelt und geben zu Coln an der Sprew, Sontags nach Visitationis Marie, Nach Christi unsers Herrn gebordt Taufent funfhundert Im Neun und dreyßigsten Jare.

Wolfgang Ketwigg, Doctor.

Aus dem Brandenb. Copialbuche III, 105.

**DXLI. Eidesformeln des Herzogs Joachim von Münsterberg als Bischofes von Brandenburg, vom 19. Dez. 1545.**

Nos Joachimus, dei gratia dux Silesie Monsterbergensis et Olfensis, comes in Glatz, juramus et promittimus deo omnipotenti, quod ecclesie Brandenburg. fideliter preeffe volumus bonaque ipsius jura, res, libertates, quantum possumus, fideliter diligenterque conservabimus, nec quicquam de eisdem alienabimus, donabimus, permutabimus, impignorabimus neque translationem aliquam faciemus sine libero consensu totius capituli ecclesie Brandenburg., nisi in casibus modoque in via a jure permittis, quodque prepositum, decanum, canonicos et capitulum ecclesie predictae et ipsorum supposita pro posse manutenendo protegemus et defendemus nec in personas eorum aliquam violentiam inferemus per nos vel per alios directe vel indirecte, eorumque privilegia, jura, libertates et bona, per predecessores nostros et alios quoscunque fideles donata aut per eos comparata nec non omnia et singula, que actu possident et in futurum possidebunt, pacifica et quieta illis permittemus ac juramentum hoc statim et sine mora post confirmationem innouabimus sub sigillo et subscriptione manuali. Sic me deus adjuuet et sancta evangelia.

Nos Joachimus, dux Silesie Monsterbergensis, notum facimus per has patentes literas nostras, quod nos omnes et singulos articulos infra scriptos conjunctim et divisim et eorum quemlibet tenere et observare debemus et volumus sub juramento prestitio in omni forma infra scripta. In primis promittimus, quod officia episcopalia per nos aut alium catholicum exercere et facere volumus, volumusque et debemus ritus ecclesie pios et honestos observare et quotiescunque ecclesiam ingressi fuerimus in habitu, quem religiosum appellant, incedere. Etiamque nos volumus presertim hoc periculo tempore parrochias nostras, ecclesias et monasteria, in quibus adhuc religiosi morantur, diocesis Brandenburg., consilio capituli nostri et si opus fuerit, auxilio illustrissimi principis, electoris Brandenburg. visitare, hereses purgare ac per nostros in spiritualibus vicarios corrigere et emendare excessus, malefacta et peccata. Item promittimus, quandoquidem ecclesie Brandenburg. in grande pervenit detrimentum ac ere alieno summe gravata dinoscitur, ideoque non volumus neque debemus bona, res, proprietates episcopatus et ecclesie similiter et feuda ad nos reversa aut in futurum reversura alicui donare, conferre, vendere, impignorare, legare aut quovis modo alio translationem in illis facere sine libera capituli voluntate alienare, sed ea ipsa bona pro mensa et curie nostre honesta et moderata conservatione reservare volumusque consuetis clericorum et subditorum subsidiis ac nostris impensis confirmationem nostri episcopatus a superioritate nostra impetrare. Item volumus et debemus annis singulis in festo divi Martini capitulo nostro absque contradictione exsolvere quinque sexagenas pro certis summis capitalibus et vasis argenteis reemptionis titulo comparatis ac per predecessores nostros effectualiter

solitas. Item debemus et volumus ecclesiam Brandenburg. illiusque statum et canonicorum ejusdem jura et possessiones in omnibus eorum villis, agris, silvis, pratis, gurgustis, piscationibus, venatione et omnibus, quibus hucusque usi sunt et utantur, quibuscunque etiam nominibus nuncupari possint, in nullo penitus turbare, sed eos secundum eorum ordinem antiquaque jura fideliter et generose defendere nec in eorum limitibus in aliqua fervitute gravare. Item quod in collatione prebendarum et quorumcunque beneficiorum, in quibus capitulum jus habet conferendi, nos nulla via aut ratione interponere volumus aut debemus neque eos in libera collatione impedire, volumusque quod collationes prebendarum ecclesie nostre inter nos et capitulum vacationis tempore fiant alternatis vicibus, personatibus tamen, videlicet cantoria et thesauraria de nostra dispositione manentibus, que tamen nulli nisi prebendato in eadem conferri debent. Item nos non volumus neque debemus per nos aut officiales sive officarios, prefectos, judices, familiares aut quoscunque alios in prepositum, decanum, vicarios et officiatos conjunctim vel divisim manus extendere ejusdem violentiam inferendo aut capiendo; si autem nostris temporibus causam contra eos aut eorum aliquem habuerimus, hanc debemus et volumus coram capitulo nostro aut arbitris ab utraque parte eligendis, in jure et justitia experiri et expedire. Item quod non debemus nos de bonis aut testamentis canonicorum et aliorum ecclesie officiatorum et vicariorum intromittere, sed hec omnia et singula dispositioni capituli nostri relinquere, prout hactenus fuit et est observatum. Item juramus, quod nullum capitaneum, camerarium, officialem et ministeriales nostros aliter juramento astringemus, quam quod nobis et capitulo nostro et presertim sede vacante sit obligatus; ididem et vassallos nostros volumus obligari. Item nos non debemus neque volumus coadjutorem recipere vel alicui ecclesiam nostram resignare, cedere, transferre aut permutare, nisi hoc fiat cum libero consensu totius capituli nostri. Item nos debemus et volumus nostrum prepositum, decanum, canonicos, capitulum et alios quoscunque clericos nostre diocesis fideliter defendere et ipsis auxiliari ad emonendum eorum decimas, census, debita et redditus, ubicunque illos et illa habuerint, pro posse nostro et si necessitas exegerit, auxilium illustrissimi principis pro ipsis invocabimus. Item vasa aurea et argentea et quecunque ornamenta ad mensam et usum episcopalem pertinentia et mitram pedum et alia episcopalia insignia, insuper imagines aureas, argenteas, pacificalia, calices, annulos, cruces atque quecunque clenodia quarumcunque ecclesiarum hujus diocesis Brandenburg. non debemus nec volumus alienare, mutare, transferre aut que publica sunt, usui nostro privato aptare et usurpare. Item nos non debemus neque volumus aliqua absolute aut dispensatione uti nec in auxilium contra omnes singulos supradictos articulos aut ipsorum aliquem specialiter, quomodo vel quando, qualiter et unde illa nobis evenire sive ordinari possint etiam a sanctissimo domino papa aut aliis nostris superioribus, spiritualibus aut secularibus, etiam si motu proprio et cum censuris et poenis vel aliter, qualitercunque nobis venirent aut darentur, habere sed nos hujusmodi articulos debemus in singulis eorum punctis perfecte et integre tenere et observare sine contradictione et sinistra machinatione, reservata tamen super his omnibus capitulo nostro moderandi et relaxandi dumtaxat potestate.

Joachimus dux, manu propria.

Nos Joachimus, dei gratia, postulatus Brandenb. dux Monstherbergenensis in Sylezia et Olsniensis, comes Glacensis etc. Datum Colonie ad Spream, sabato post Lucie anno MDXLV. in fidem premissorum. Ego Joachimus postulatus, de quo supra, manu propria me subscripsi

Gerden's Stifts-Historie S. 680-683.